

## TESTIMONIA SCRIPTURÆ SACRÆ

## CONTRA HÆRETICOS

## IN PROMTU SEMPER HABENDA.

**S**i difficile et ambiguum apud te iudicium esse prospexeris inter *Deut. 17.* sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram et non lepram, et Iudicum intra portas tuas videris verba variari; surge, & ascende ad locum, quem elegerit DOMINUS DEUS tuus: veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Iudicem qui fuerit illo tempore: quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicii veritatem, et facies quodcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius: sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram neque ad sinistram.

Qui superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat DOMINO DEO tuo; ex decreto Iudicis morietur homo ille, et auferes malum de Israël, cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia. *Ibidem.*

Interroga Patrem tuum, et annuntiabit tibi; maiores tuos, et *Deut. 32.* dicent tibi. Hæc dicit DOMINUS; State super vias et videte, et interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona; et ambulate in ea: et invenietis refrigerium animabus vestris. *Ierem. 6.*

Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent ex ore *Mala. 2.* eius, quia Angelus DOMINI exercituum est.

Audi fili mi disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris *Prov. 1.* tuæ, ut addatur gratia capiti tuo, et torquës collo tuo.

Conserua fili mi præcepta patris tui, et ne dimittas legem matris *Prov. 6.* tuæ: liga eam in corde tuo iugiter, et circumda gutturi tuo.

Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui. *Prov. 22.*

Non te prætereat narratio Seniorum: Ipsi enim didicerunt à patribus suis. Ab ipsis disces intellectum, et in tempore necessitatis dare responsum. *Eccle. 8.*

Videte ne quis vos seducat, surgent enim multi pseudoprophetæ, *Matth. 24.*

et seducunt multos. Tunc si quis vobis dixerit; Ecce hic est CHRISTUS, aut ecce illuc, nolite credere: et quoniam abundabit iniquitas, refriescet charitas multorum. Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Si ergo dixerint vobis; Ecce in deserto est, nolite exire: Ecce in penetralibus, nolite credere.

*Luc. 10.* Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me.

*Mattb. 23.* Omnia ergo, quæcumque dixerint vobis, servate et facite: secundum opera verò illorum nolite facere: Dicunt enim, et non faciunt.

*Mattb. 16.* Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam; et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni coelorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis: Et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis.

*Luc. 22.* Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cibraret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.

*Ioan. 21.* Simon Ioannis diligis me? pasce agnos meos, pasce oves meas.

*Mattb. 28.* Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.

*Ioan. 14.* Ego rogabo PATREM, et alium PARACLITUM dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, SPIRITUM veritatis; quem mundus non potest accipere: quia non videt eum, nec scit eum: Vos autem cognoscetis eum.

Non relinquam vos orphanos: veniam ad vos. PARACLITUS autem SPIRITUS-SANCTUS quem mittet PATER in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggesteret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.

*Ioan. 16.* Adhuc multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modò. Cùm autem venerit ille SPIRITUS veritatis, docebit vos omnem veritatem.

*Ioan. 17.* Non pro eis rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me: ut omnes unum sint, sicut TU PATER in me, et ego in TE; ut et ipsi in NOBIS unum sint.

Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.

Fuerunt verò et pseudoprophetæ in populo, sicut et in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis. Et multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur, qui in errore conversantur; libertatem illis promittentes, cùm ipsi servisint corruptionis.

Hoc primùm scientes, quod venient in novissimis diebus in de- ceptione illusores, iuxta proprias concupiscentias ambulantes.

Hoc est mandatum, ut quemadmodum audistis ab initio, in eo ambuletis: quoniam multi seductores exierunt in mundum. Omnis qui recedit, et non permanet in doctrina CHRISTI, DEUM non habet.

Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis.

Erit tempus cùm sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus.

Rogo autem vos fratres, ut observetis eos qui dissensiones et offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt: et declinate ab illis. Huiusmodi enim CHRISTO DOMINO non serviunt, sed suo ventri, et per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium.

Denuntiamus autem vobis, fratres, in Nomine DOMINI NOSTRI IESU-CHRISTI, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, et non secundùm traditionem, quam accepérunt à nobis.

Itaque fratres state, et tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram.

Oportet hæreses esse, ut et qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.

Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem de vita, sciens, quia subversus est, qui eiusmodi est, et delinquit, cùm sit proprio iudicio condemnatus.

Si quis videtur contentious esse, nos talēm consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.

*Mattb. 18.*

*2. Pet. 2.*

*2. Pet. 3.*

*2. Ioan. 1.*

*Ibidem.*

*2. Tim. 4.*

*Rom. 16.*

*2. Thess. 3.*

*2. Thess. 2.*

*1. Cor. XI.*

*Tit. 3.*

*1. Cor. XI.*

*I. Tim. 3.* Hæc tibi scribo, ut scias, quomodo oporteat te in domo DEI conversari, quæ est ECCLESIA DEI VIVI, columna et firmamentum veritatis.

*Hebr. 13.* Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci. Obedite Præpositis vestris, et subiacete eis.

*I. Tim. 6.* O Timothee, depositum custodi, devitans prophanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ; quam quidam profidentes, circa fidem exciderunt.

*Gal. 1.* Miror quòd sic tam citò transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam CHRISTI, in aliud Evangelium: quod non est aliud, nisi sunt aliqui, qui vos conturbant, et volunt convertere Evangelium CHRISTI. Sed licet nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.

*Indæ A postol.* Vos autem charissimi, memores estote verborum, quæ prædicta sunt ab Apostolis DOMINI NOSTRI IESU-CHRISTI, qui dicebant vobis; quoniam in novissimis temporibus venient illusores, secundùm desideria sua ambulantes in impietatibus. Hi sunt, qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes. Hi sunt murmuratores, querulosi, secundùm desideria sua ambulantes, et os eorum loquitur superbiam.

F I N I S.



